RosDok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Wilhelm Christian Justus Chrysander

# Recensio Scriptorvm Editorvm

Editio Secunda, Rintelii: Hersfeldiae: Mohr, 1761

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830171002**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn830171002/phys_0001
DFG

Die Rostocker sind Dupl.

71

572

Fa-1092 (71.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn830171002/phys_0002
DFG

N. 1. Wippel Leben des Daniel Eremita.
N. 2. Christfelsius singularia oettingensia
N. 3 la providence ne s'interesse point à l'individu mais à l'espece.
N. 4. Tychsen abbreviaturarum hebraicarum supplementum I.
N. 5. Burscher de gaza derelicta futura ad illustrandum locum Zeph. XI. 4. dissertatio posterior.
N. 6. Ernesti de praesentia corporis et sanguinis Christi in coena sacra.
N. 7. ~~[illegible]~~ Mayer de Concilio Tridentino parr. I.
N. 8. Aepinus Imp. Caroli M. merita in rem sacram.
N. 9. Marvius de sapientia sanctissima rite colenda.
N. 10. Tychsen de delectu veterum ebraeorum dissertatio I.
N. 11. Witte de genuina J. G. universali natione.
N. 12. Doederlein de finibus theologiae dogmaticae et moralis recte constituendis.
N. 13. Weidener quod salus aeterna non meritis nostris, sed solu Dei gratia, per meritum Christi acquisita netatur
N. 14. Idem Regenitus male regens et Fanaticis reditum ad Papismum frustra suadens
N. 15. Rusius de veris sinceri Sectatoris Christi requisitis etc.
N. 16. Zaacke de lege aequilibritatis in natura observatam etc.
N. 17. Schmid Versio Alexandrina optimum interpretationis librorum sanctorum praesidium
N. 18. Richter de theologo Dei homine ad 2 Thim. III. 17.
N. 19. Schubert de iudicio Joannis Calvini et Tigurinorum in causa Eucaristica
N. 20 Zachariae de usu dogmatico nominis filii Dei.
N. 21. Emmerling interpretatio Num. XXII. 20–35.
N. 22. Hoerschelmann de divina punctorum vocalium et accentuum codicis hebraici origine
N. 23. Kaempfer de modo praedicationis Paulinae per exegesin dicti 1 Cor. II. 4. 5.
N. 24. Idem de modo praedicationis etc.
N. 25. Kaestner Beweiß-gründe der Unsterblichkeit der menschlichen Seele.
N. 26. Christfelsius de vita Pamingerorum comentarius etc.
N. 27. Becker quaestio: an aeterna annihilatio hominum peccatorum sors etc.

N. 28. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fridericianae Bützow. etc.
N. 29. Janotskius de poena hereticorum etc.
N. 30. Doederlein de vero usu atque abusu rationis humanae in rebus divinis
N. 31. Idem de usu atque abusu rationis etc.
N. 32. Rector Academiae Lipsiensis Pentecostales ferias etc.
N. 33. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fridericianae Bützow-ensis etc.
N. 34. Academiae Fridericianae Bützowiensis Rector et senatus academicus memoriam resurrectionis Christi etc.
N. 35. Idem solemnia natalia Domini nostri Jesu Christi etc.
N. 36. Zachariae Christus πρωτοτοκος εκ των νεκρων.
N. 37. Rector et senatus academicus Bützowiensis etc.
N. 38. Zachariae Christus πρωτοτοκος
N. 39. Rector et senatus academicus Bützowiensis etc.
N. 40. Markius de Jurisprudentia divina ex codice sanctissimo.
N. 41. Becker an Dn. D. Teller nisi negata vera Spiritus S. deitate etc.
N. 42. Idem an Christus in sua exaltatione et ascensione etc.
N. 43. Chrysander de fundamento exaltationis Christi hominis maiestatis.
N. 44. Idem recensio scriptorum eruditorum
N. 45. Rottboell de vestibus et calceis Israelitarum.
N. 46. Trendelenburg de Judaeis etc.
N. 47. Ministerii zu Hamburg Pastoral Schreiben etc.
N. 48. Rector universitatis ad solemnia paschalia etc.
N. 49. Quistorp de ratione modoque quo peccati fomes etc.
N. 50. Becker creationis universi gloria filio Dei etc.
N. 51. Quistorp de λογω Pauli 1 Cor. 1. 5.
N. 52 Pries de sanctis angelis Apostolorum etc.
N. 53. Detharding de cura infantum recens natorum penes etc.
N. 54. Martini de non usu iudicii denuntiatorii in Megapoli.

# RECENSIO
# SCRIPTORVM,
# EDITORVM

*A*

## WILH. CHRISTIANO IVSTO
## CHRYSANDRO,

*GOEDDEKENRODA-HALBERSTADIENSI,*

PHILOSOPHIAE DOCTORE AC LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRO, IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA LEGENTE,

ATQVE COLLABORATORE PRIMARII SACRORVM HELMSTADIENSIVM ANTISTITIS.

*IAM*

DOCTORE ET PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO THEOLOGIAE, PHILOSOPHIAE, MATHEMATVM ATQVE PHILOLOGIAE SACRAE IN ACADEMIA HASSO-SCHAVMBVRGICA ERNESTINA, QVAE RINTELII AD VISVRGIM FLORET.

EDITIO SECVNDA.

*RINTELII ET HERSFELDIAE*

*APVD GEORG. CHRISTOPH. MOHR.*

MDCCLXI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn830171002/phys_0005
DFG

# SCRIPTA,

Quae huc vſque cum eruditis communicauit
CHRYSANDER.

---

1.)

Specimen orationis numeris adſtrictae, continens carmina Germanica *nouem*, Latina *tria*, variis occaſionibus deducta, in faſciculo.

1738. 2) FERALES NVMERI, *quibus funeri* IOHANNIS MARTINI RIDELII, Phrontiſterii Ilfeldenſis ProRectoris, *parentabat* alumnorum Ilfeldenſium Ordo Superior, interprete *Wilhelmo Chriſtiano Iuſto Chryſandro.* Northuſae, litteris Cölerianis, fol. plagul. I.



Si-

Siſtit hic leſſus exemplum imitationis illius, quam rhetores *maſculam* vocant. Expreſſus nimirum in eo eſt ordo ſententiarum, integraeque orationis habitus, quem offendit lector in *libri I. epiſtola nona* earum epiſtolarum, quas, *Pelignae gloria gentis*, OVIDIVS *ex Ponto* ſcripſit, ſic incipiente:

*Quae mihi de rapto tua venit epiſtola Celſo,*
*Protinus eſt lacrymis humida facta meis.*

Halenſia. 1738. 3) TEDAE IVGALES *ſacris hymenaeis* IOHANNIS IOACHIMI SCHMIDII, *Collegae Lycei Ilfeldiaci*, praelatae.

Carmen hoc *Graecum*, humaniſſimi viri laudibus celebrandis dicatum, Halae Magdeburgicae, litteris I. I. Gebaueri impreſſum eſt. fol. plag. 1.

1740. 4) *Oratio de* SORTIBVS, *in conſeſſu* SOCIETATIS LATINAE, *quae Halae floret, habita.* Halae Saxonum, Stanno Hendeliano, Forma quadripartita plag. 4.

Diſquiritur de voce *ſors*, et vario eius ſignificatu; de definitione ſortium, de earum generibus, de populis, qui ſorte vſi ſunt, de modis et inſtrumentis, quibus eas vſurpauerint. Vid. Gründliche Auszüge aus - - - Philologiſchen diſputationibus 1 Stück. Leipzig 1742. pag. 94 - 100.

1741. 5) MEMORABILIA ANNI MDCCXXXX, metro decantata a W. C. I. Ch. *in Societate Latina*, quae Halae floret, *Cenſore*. Halae, apud I. I. Gebauer fol. plag. I.

Deſcribuntur *quinque* ſingularia, quae vnius anni ſpatio ſe exceperunt: 1) *hiems* per totam Europam duriſſima. Qua factum, vt terra (cui hiems alias id praeſtat, quod grata quies animalibus) redderetur intractabilis, fruges enecarentur, pabula deficerent, bruta intenſiſſimo frigore contorta perirent, multis etiam hominibus anima rigore gelu extorqueretur. 2) *Difficilis annonae caritas*, in maleſuada vix placabili fame. 3) Terror ex inſignibus maximorum imperiorum commutationibus: Coronam *regiam* vnam, *caeſareas* duas, Papaeque Romani infulam mors loco mouit. 4) *Detrimentum in arboribus*, glacie fractis. 5) *Aquarum eluuies.*

- - - 6) *Commentatiuncula de* PATRICIIS. Halae, typis I. I. Iuſtini Gebaueri. fol. maiori. plag. 1.

Diſſeritur de nomine, ac tribus Patriciorum generibus. Primum conſtituunt Patricii *veteres*, a Romulo ſelecti. Secundum, ſeu medii aeui, *ſaeculo IV.* exſiſtere coepit. Tertii generis incunabula referenda ad *ſaec. X.*

1741. 7) *Diſquiſitio de* LONGAEVITATE *ante-diluuianorum.* Halae, formis Hendelii. 4. plag. 1½.

Conſuetudo *Thracum* (de qua praeter HERODOTVM *in Terpſichore* POMPONIVS MELA *de orbis ſitu lib. II. p.* 43. edit. Baſil. in 8. memorat.) tamquam riſu digna proponitur, qui ſuorum natales indictis plorationibus, mortes autem iubilis excipere ſoliti ſunt. Poſt hoc praefamen Parte I. *Veritas* longaeuitatis ſtatuminatur, demonſtrando, MOSEN capite V. Geneſeos per *annos* tantum temporis ſpatium innuere, quanto nos quemque terminamus. pars II. ad *cauſſas* tantae longaeuitatis progreditur docendas. Hae ſunt deriuandae partim e totius vniuerſi, diluuio nondum deprauati, conditione, partim e parentibus ſenis cuiuſque, partim e ſingulari ſcopo Dei, habita poſterorum ratione, plurimum etiam e vi *arboris vitae*, cuius fructum protoplaſti deguſtauerant.

1742 8) *Satura philologica de* CAESARE, TYRANNO NON SCELESTO, *contra* G. H. NIEVPORT *de ritibus Rom. pag.* 119. et III. Helmſtadii apud P. D. Schnorr. 4. plag. 1½ *Helmſtadienſia.*

Aſſeritur e coaeuorum ſcriptorum lamentationibus, Romanos *diu ante* CAESAREM *libertatem iam amiſiſſe*, cuius CÆSAR certe partem iis reddiderit; Optimates populi Romani gauiſos quidem eſſe illa, ſed ſibi inutili. CÆSAREM ea ipſa ablata *beneficium* Romanis praeſtitiſſe. Id quod notabilium exemplorum commemoratione corroboratur.

- - - 9) *Conſpectus* PRO-RECTORVM MAGNIFICORVM, *qui academiae* IVLIAE *inde ab ipſis eius incunabulis usque ad annum* 1742. *praefuerunt.* Helmſtadii, ſtanno Drimbornii 4. plag. 3½

Scholiis ſubinde reſperſa eſt haec matricula purpuratorum in magiſtratu academico Profeſſorum. Praefatio agit de celeberrimae

IVLIAE anno initiali, fauſtiſque tunc propitiae DEI voluntatis teſtimoniis, de numeroſo Studioſorum in hac ſchola exercitu, (numerum 39722. anno 1742. menſe Iunio explente, *) de gloria doctorum, et vtilitate huius rotuli Pro-Rectoralis. (*ſub finem a. 1747. n. 40200.)

- - - 10) *Diſſertatio*, deinde in formam tractatus redacta, qui inſcribitur: *Periculum exegetico-dogmaticum de* PRIMO PRIMORVM HOMINVM PECCATO. Helmſtadii, prelo Iohannis Drimbornii. 4. plag. 1, ½

Praeparatio oſtendit argumenti vtilitatem duplicem, difficultatem inſignem, ſedem in Geneſi, eiuſque interpretationem. Quae quidem vt ad litteram fiat, adſtruitur. Pars I. legem Gen. II, 16. 17. expendit. Nempe partim A) legis argumentum, eiuſque a) tum *obiectum: arborem ſcientiae boni ac mali*, quae ipſa, binominis, etiam *arbor vitae* vocatur, b) tum *actum* legis *negatiuum*: NE COMEDAS, non ſolum quà ſenſum, ſed etiam qua rationes huius interdicti; Partim B) clauſulam legis poenalem: DIE, QVO COMEDES EX EA, MORTE MORIERIS. Pars II. pertractat legis iſtius transgreſſionem. Partim nempe A) de *cauſſa* eius *externa* agitur, SATANA. Monſtratur, Moſen in verbis, quae interpretum chorus neglexit, השדה חית Gen. III, 1. *prae animante* AGRI, indicare, ſerpentem iſtum *non* fuiſſe *naturalem*, talem tamen ſpecie, vt videretur coluber. Sin ſecus ac de figura ſerpentina, quam ſibi obduxit diabolus loquens, acceperis vocem נחש, omnia contextum premere, docetur. *Strategemata* item Seductoris denudantur. Partim B) de *cauſſa* migratae legis *interna*, tam generali, non vſu liberi arbitri, quam propiori, diſpicitur.

Vide *Noua* ACTA ERVDITORVM publicata Lipſiae Cal. Iul. 1744. Num. VIIII. menſe Iulio p. 424-428.

1743. 11) *Diſſertatio Philologica de* CONNVBIO IOSEPHI AC MARIÆ VERO. Defendente *Iohanne Rudolpho Ottone*, Münchoſio-Brunſuicenſi. Helmſtadii, apud P. D. Schnorrium. 4. plag. 12. Editio ſecunda auctior, quae a. 1744. prodiit, eſt huius rubri: *Commentatio Philologico-Theologica* de SAPIENTIA DEI IN CONNVBIO IOSEPHI AC MARIAE ADMIRANDA, *cum indice gemino.* Helmſtadii, 4. plag. 20½

Pro-

*Prodomus* aperit, auctori neminem innotuiſſe, qui grauiſſimum hoc argumentum ex inſtituto dilucidarit. Hinc inde forte ſparſa, quae huc faciant, occurrere, haud abnuit. Caput I. continet ſyllabum *argumentorum biblicorum*, quibus probatur, Mariam vtrique cum Ioſepho in matrimonio vixiſſe. Sectio A) comprehendit ſex rationes de *Ioſepho* memoratas. Sectio B) duas ad *Mariam* ſpectantes. Sectio C) ad *ambos* pertinentes. Sectio D) de IESV relatas. Caput II. ſciſcitatur *tempus*, quo illud matrimonium initum ſit; tertio menſe poſt conceptionem IESV. Caput III. docet variam *vtilitatem*, ex iſto coniugio diuinitus procurato oriundam. Sectio A) tractat de VTILITATE *publica* quadruplici. Sectio B) de *priuata*, ratione habita Ioſephi, Mariae et IESV.

Cf. iudicium in *Nouis Actis Eruditorum Lipſienſibus* de anno 1746. menſe Iunio. Parte II. pag. 361-368.

1743. 12) Oratio ſacra: **Der Mangel der rechten Erkenntnis GOttes, als eine Quelle des ungöttlichen Weſens unter den Menſchen. Am Sonntage Exaudi 1743. in der Hauptkirche zu Altſtadt Salzwedel öffentlich vorgeſtellet, und auf Begehren dem Druck überlaſſen. Salzwedel, bei J. H. Hellern.** 4. plag. 4.

* 13) **Zufällige Gedanken vom Urſprunge des Namens Wolfenbüttel.** 8. plag. 1½.

* Exſtant in *Bibliotheca Hamburgenſi Miſcellanea* Volumini I. Parte VI. p. 1007-1019.

Docet I. F. NOLTENIVS in *Lexico Latinae linguae antibarbaro* p. 151. ſub voce WOLFENBVTELA: etymon germanicum Byttel *locum vligine profundum et ad gradum inſtabilem* ſignificare. Ab hac autem viri clariſſimi ſententia ſuam ſeiungit auctor, ratus, *modicum domicilium* hac voce denotari, eamque ſibi videri e dictione Bude, diminutiue flexa, natam eſſe. Radicem quaerit in בות *but*, quod Hebraeis, Chaldaeis, Syris, Aethiopibusque deſignat *habitare*, et in בית *domus*. Comparat haec cum multis harmonicis hinc deriuatis, in primis cum voce beiten in cantione ſacra, Da JEſus an dem Creutze ſtund, eiuſque verſu 8: Wenn ſich meine Seel von mir will ſcheiden, und mag nicht länger beiten, h. e. wohnend bleiben. Denique colligit, differre quidem hanc nominis caudam, Byttel, a terminatione Burg, ſed idem fere eſſe, quod voculae encli-

ti-

ticae leben, lager, ſtadt, heim, in Bartensleben, Goßlar, Runſtedt, Hildesheim. De capite nuncupationis, vocula Wolfen quaedam praelibantur, atque 200 annis ante hunc locum appellatum fuiſſe Wolfenbüttel, quam Guelphi eo venerint, monetur. Ne igitur ſcribas *Guelpherbytum.*

1744. 14) *Diſſertatio philologico-moralis*, in qua doctrina de magiſtratu politico e nomine magiſtratuum אלהים deriuatur. Defendente *Chriſtiano Mauritio Grimm*, Hohegeiſſa-Walkenriedenſi. Helmſtadii, typis Schnorrii. 4. plag. 11.

Cap. I. agit de ſignificatu vocis אלהים *Dii*, generatim et ſpeciatim. Membrum I. de valore *etymologico* et ampliſſimo; II. de *proprio*, ad Deum relato. Vox אלהים Latine reddenda: *Ens venerandum, ſeruitiiſque colendum, pluribus, ſaltem tribus, perſonis ſubſiſtens.* Membrum III. de *impropria* ſignificatione, traducta in rebus contingentibus tum ad angelos, tum ad magiſtratus humanos. Caput II. propinat conſectaria, quae ex hoc nomine promanant, partim *theoretica*, de conditione magiſtratus, partim *practica*, de officiis magiſtratuum ac ciuium, partim *mixta* ſeu paracletica.

Vid. Sammlung von alten und neuen Theologiſchen Sachen. *V.* Beytrag. Leipzig 1746. *pag.* 762-765.

1745. 15) *Ecloga epiſtolica de* NAVLO CHARONTIS. Helmſt. typis Schnorrii. 4. plag. 5. *Editio altera*, locupletior, lucem vidit a. 1746, in forma quarta maiori, litteris Drimbornii.

Pars I. ſiſtit hiſtoriam de praefecto fluuiorum infernalium, de numiſmate, ideo ſepulchris imponendo, vt tetro CHARONTI, neglectae barbae, veſtitus ſqualidi, flammantiumque oculorum viro, perſolueretur, de neceſſitate huius tributi, denominationibus, pretio, materia eiuſdem, et de moneta aerea apud HVBERTVM GOLZIVM, totam rem deſignante. Pars. II. inquirit, quid homini ſobrio de transuectore infernali, eiuſque mercede iudicandum ſit. Reiicitur eorum opinio, qui haec vniuerſa nuſquam niſi in cerebro veterum quorundam adfuiſſe, perhibent, et ita quidem infantem cum ſordibus effundunt. Spernitur eorum coniectura, qui per Charontem intelligi CHRISTVM vel Moſen volunt. Vale dicitur hariolationi OLAI RVDBECKII *iunioris*, qui fabulam de CHARONTE e Lapponia ar-

arceſſere laborat. Mittitur ſententia, Charonem fuiſſe tyrannum maritimum. Iam demum proponitur auctoris hac de re iudicium, atque auctoritate DIODORI SICVLI confirmatur. Nomen *Charon* ſine dubio eſt Aegyptiacum, et quidem appellatiuum, *Vectorem* denotans. Quaedam vrbes in Aegypto, NILO adiacentes, non habebant in proximo coemeteria. Erat inter haec et vrbes iſtas lacus *Querron* et *Moeris.* Nautae in lacubus haud licitum fuit, vllum funus traiicere per cymbam ſuam, niſi ii, qui funus efferebant, producerent quendam NVMMVLVM, ceu *veniae* itemque *virtutis* defuncti *ſignum,* a magiſtratu funebri, quadraginta iudicibus conſtante, petendum. ORPHEVS, litterato ſuſcepto in Aegyptum itinere, hoc inſtitutum in Graeciam reportauit, et, mutata quodammodo forma, introduxit, quum nouam plane Theologiam inueheret, atque, compeſcendorum hominum cauſſa, inferni imaginem nouis picturis diſtingueret. Sic *Ceranicum* apud Athenienſes, locus vbi mortui ſepeliebantur, extra vrbem fuit. Loco VIRGILII *Aeneid. VI. v.* 375. noua lux affunditur, et, quae cognata huic argumento ſunt, excutiuntur. Contingit, vt hodienum in vrnis ſepulchralibus paruum numiſma aereum, globulo fere ſimile, deprehendatur. Hoc eſt, NAVLVM illud, quod vel ori vel manui dextrae concremati includi ſolebat. Quod quidem idem valet, ac ſi ſchedulam reperires adiectam, huius inſcriptionis: *Hic, vel haec,* cuius cineres heic conſpicis, *vitam vitiis contaminatam non egit. Vixit en honnête homme.* Seu idem ſignificat, ac ſignum Iudaicum זל *Memoria eius ſit in proſpero! Quiſquis es, parce manibus et maledicere noli!* Denique agitur de praenotata antiquiſſima moneta Niſaeorum. Viſitur in ea homo paene *nudus.* Neque enim niſi integumentis nudatos infernalis Portitor recipit. *Stans in lembo,* protenſa *dextra porrigit* Charonti, quaſi vecturae mercedem poſtulanti, *obolum.* In vna area legitur, vox Νισαίων, in altera Ὄβολος, nempe κατ᾽ ἐξοχὴν, ſepulchralis. Legis praeterea litteram *M,* quae ſignificat, Μελάφορον, cognomen *Cereris.* Denique, virens ariſta ſeu matureſcens ſpica cernitur, reſtitutionis corporum, non plane deſperatae Gentilibus, veſtigium. *Niſaei* certe, mortem *ſomno* temporario ſimilem eſſe, tradidere.

Anno 1744.

**1745. 16) Ueber die Benennung: Neu-Teſtament.** 8. plag. 1½ ſeu

Anno 1745. 1747.

Diatribe de emphaſi et iucunda elegantia *tituli* [ex Ierem. 31, 31. deſumti, quem ſcripta Euangeliſtarum et Apoſtolorum], diuina vi-

vigilante prouidentia, ſibi praefixum habent: Καινὴ Διαθήκη. Diffuſiſſimi commentatores in vniuerſa biblia alto ſilentio hanc inſcriptionem, quaſi Siculam Charybdim, fugere ſoliti. Inſerta eſt iſta diſquiſitio der Hamburgiſchen vermiſchten Bibliothek Tomo III. parti *quartae.* Num. V. p. 516-539.

- - - 17) *Hieronymi Andreae* commentatio de poteſtate patris in filiam maritatam. Editio II, *quam procuravit, atque praemiſſa* AVCTORIS VITA *locupletavit W. C. I. Chryſander.* Helmſt. apud Schnorrium.

Ignoratum, quiſnam ſit ille *Hieronymus Andreae.* Sed clauem inuenit editor in *verſione* nominis Graeci Latina.

Ἱερώνυμος idem eſt, ac SACER *nomine, Andreae* filius. Verum auctoris nomen eſt *Gotofr. Wilhelmus Sacer.* Laudatur hic ICtus, hymni Nun hab ich obgeſieget, aliorumque auctor; ad crumenimulgas et harpyias forenſes haud referendus, de quibus *Martialis* lib. 1. epigr. 4.

*Turba grauis paci, placidaeque inimica quieti.*

*Anno* 1746. 1746. 18) *Diſſertatio hermeneutica de* REPRAESENTATIONE ACTIONIS, hoc eſt, PRONVNTIATIONIS AC GESTVS, *tamquam* SVBSIDIO HERMENEVTICO. Reſpondente *Friderico Nicolao Taubert*, Helmſtadienſi, S. S. Theol. Candidato. Helmſt. typis Drimbornianis. 4. plag. 12.

Eadem *iterum* edita, ſupplemento indiceque aucta eſt. Helmſtadii, impenſis C. F. Weygandi plag. 15½ forma qu. maiori.

Caput I. ſtatum quaeſtionis figit. II. probat et a priori et a poſteriori; III. regulas quaſdam ſuggerit de cognoſcenda actionis praeſentia, et indole diiudicanda; III. illuſtrat rem exemplis e Vetere et Nouo teſtamento depromtis, in quibus hypotheſis tam *pronunciationis* quam *geſtus* officium praeſtat. Minime detritum hoc, ideoque difficile, argumentum a quibuſdam magnis hermeneutis calculum album, vtilitatiſque variae teſtimonium reportauit. Ad non neminis autem dubium reſpondit auctor in diſſertatione, ſub num. 39. citanda, pag. 29-31.



Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830171002/phys_0014 DFG

- - - 19) VVLNERA, *academiae* IVLIAE *et mortibus et diſceſſibus Profeſſorem inflicta, ordine chronologico* recenſet W. C. I. C. Helmſtadii, typis Schnorrii. 4. plag. 3. *Anno* 1746. 1747.

Sunt ANNALES *obitus et abitus* Profeſſorum Helmſtadienſum, e Programmatibus ſatis moleſte collecti, ſeu *Tabulae*, quarum vnaquaeque annos capit *decem.* Vno contuitu in illis vides *nomina, patriam, munus, durationem muneris, diſceſſum, emortualem annum, diem,* plerumque et *horam,* Profeſſorum, ſeparatis ſingula in ſpatiis.

- - - 20) LVMINA *academiae* IVLIAE CAROLINAE *exhibet in ſynopſi, vna cum indice alphabetico* W. C. I. C. Helmſtadii, typis Schnorrii. 4. plag. 2½

Anima academiae conſiſtit in Profeſſoribus earumque conditione. Horum in memoria recumbit idea ſtatus academiae, pedetentim alius atque alius. Qualis igitur IVLIA fuerit, apparere ex hoc *omnium omnino Profeſſorum catalogo* poteſt. Dedicatus is eſt Natali CLXXI. academiae IVLIAE quae inde a die 30 Martii 1745. nominari coepit IVLIA CAROLINA. Anni *acceſſus*, ſeu quo quiſque ſuſcepit munia, etiam annotati ſunt.

- - - 21) Προπέμπτικον πρὸς τὸν εὐγενέστατον καὶ ἐξοχώτατον Γέβαρδον Αὐγοῦστον ἀπ᾽ Ἀλβενσλήβεν. Helmſt. apud Schorrium. fol. plag. 1.

Generoſiſſimus Conſiliarius aulicus *G. A. ab Alvensleben* Collegium GRÆCVM, idque *emphaſeologicum* in N. T. intra priuatiſſimos auctoris parietes frequentauerat, laudabili exemplo ſapientiae diuinae amantiſſimus. Diſcedens igitur, non niſi *Graeco* carmine fuit comitandus.

1747. 22) *Meditatio de* CONSILIO DEI IN CONSERVANDIS SENIBVS. Helmſtadii, exſripſit Schnorrius. 4. plag. 1.

Dantur ſilicernia puerila, et duae aliae ſenum claſſes. Singulae praeſtant in mundo varias vtilitates, ratione habita *diuini honoris, ſui ipſius,* et *aliorum.*

- - - 23) MINISTRI ECCLESIAE HELMSTADIENSIS *inde ab eo tempore, quo purioribus ſacris addicta eſt.* Helmſtadii, charactere Schnorrii. 4. plag. 3½

Ex voto auctoris, pag. 5. Conſiliarius Aulicus et Conſul Helmſtadienſis primus ill. *G. D. Lichtenſtein* e Tabulario ſeu *Archiuo* ci-

Anno 1747. ciuitatis Helmſtadienſis, quod auctori non patuit, hunc recenſum augere ſuſcepit in tr. Unterſuchung von dem Anfange der Reformation in Helmſtädt, als ein Beytrag zur Geſchichte des Schmalkaldiſchen Bundes.

- - - 24) *Epimetrum et Index* ad IOHAN. WOLFGANGI KIPPINGII ſpicilegium iuris eccleſiaſtici recte conſtituendi. 4. plag. 5. apud Schnorrium.

Edendo huic ſpiſſo operi, in primis Scholae Thomaſianae oppoſito, immortuus eſt b. Conſiliarius Aulicus tunc, quum non niſi *duo Alphabeta* publicis formis impreſſa eſſent. Ventum igitur eſt ad Chryſandrum, vt reliqua, quae ipſius b. auctoris manus reliquerat, typis committeret, et operas his illiſque locis moneret, dirigeretque, Repertorium etiam operi adornaret.

- - - 25. *Satura hiſtorica* de NVMINIS *admirabili circa* ORPHANOS PAVPERCVLOS *prouidentia.* Helmſtadii, prelo Schnorrii. 4. plag. 1.

Exemplis pauperis MART. CHEMNITII, I. H. VRSINI, aliorumque eruditorum res declaratur.

- - - 26) VLTIMA VERBA *ad Paedagogium Regioelectorale, quod* ILFELDAE *ad fauces Hercyniae floret.*

Praecedit *oratio Graeca de* NVMINIS TIMORE FILIALI, SAPIENTIAE STVDIOSIS MAXIME NECESSARIO, in Pſ. CXI, 10. Halae Hermundunorum. 4. plag. 3.

*Timere Deum*, eſt auerſationem Dei a nobis et noſtris auerſari. Timor *filialis* eſt amor reuerenter amantis, ſeu amor cum reuerentia coniunctus. Rectori lycei Ilfeldenſis, KRANEWITTERO, ceteriſque eius Praeceptoribus haec commentatio vtraque elaborata, iam 1738 pie dedicata eſt. Vltima quidem verba illa comprehenſa ſunt verſibus Latinis, heroici generis, et huius thematis:

*Accipe, ſi noſtrae ſtudioſae gratia Muſae*
*Exſtitit vlla tibi, nutrix* ILGERIA, *grates!*
*Accipe triſte* VALE *nunc, atque nouiſſima verba,*
*Pectore quae moeſto depromit gratus alumnus.*

Impreſſionem *valedictionis* huius prouocauit periculum *Scholae Ilfeldenſis* a. 1747. inſigne.

--- PLV-

- - - 27) PLVTARCHI *Chaeronenſis* VITAE COMPARATÆ Solonis et Poplicolae, Demoſthenis et Ciceronis, atque C. I. Caeſaris, *in vſum* COLLEGII CAROLINI *Brunſuicenſis recenſae* a W. C. I. Chryſandro. Helmſtadii. 8. 1. Alph. *Anno* 1747.

Clementiſſimo iuſſu et impenſis SERENISSIMI Ducis Brunovicenſis hae Plutarchi vtiliſſimae pariter atque elegantiſſimae vitae ſeparatim typis expreſſae ſunt, vt in Collegio CAROLINO, omnium liberalium artium et linguarum promtuario, tractarentur. Conf. Anzeige, das Colleg. Carol. betreffend, itemque Anzeige der Vorleſungen und Uebungen, welche in dem Collegio Carolino zu Br. von Michael. bis Oſtern 1747. angeſtellet werden, ſub lectionibus Excellent. Profeſſoris et Praeſulis *Harenbergii* pag. 4. In deſcribendo textu fundamenti loco poſita eſt ſplendida illa ac pretioſa *Vitarum Parallelarum* Plutarchi editio, quae Tomis quinque *Londini* in quarto mai. 1729. prodiit, ſtudio partim AVGVSTINI BRYANI, qui duo priora volumina edidit, partim MOSIS DV SOVL qui tria poſteriora procurauit. Sequitur haec Anglicana editio editionem Pariſinam a. 1624. rationemque habuit notarum non ſolum XYLANDRI et STEPHANI, ſed etiam PALMERII, ac DACERII. Sed editor, nihil omiſſurus, quod ad ornandam hanc Syllogen faceret, etiam editionem *Francofurtanam*, tum anni 1599. tum anni 1620, editionem *Argentoratenſem* a. 1630, et reliquas, quae exſtant, omnes contulit, indices *Variantium Lectionum* comparauit, annotationes virorum doctiſſimorum *Criticas* diligenter in conſilium adhibuit. Proprio autem vtens iudicio, *Solanas* emendationes ſaepe pro emendationibus habere non potuit. Quae igitur in hac ſylloge edita praeſtitit, haec ſunt: Curauit, vt textus Graecus, etiam quà minutiſſima, accuratiſſime excuderetur, ARGI fere intentione ac vigilantia contra vitia typographica vſus. Textum, in pleriſque editionibus indiuulſa ſerie profluentem, Logica ἀκριβείᾳ diſpeſcuit atque diſſecuit. *Marginalia* adiecit, argumentum ſingularum paginarum conciſe nuntiantia, quorum diſcrepantia a XYLANDRI ſcholiis Latinis non obſcura erit. Haec Marginalia ipſe Graece elaborauit, in nulla huc vſque editione obuia. Sicuti vero pons verſionis Latinae in hac editione Brunſuicenſi, deliberata induſtria, eo fine omiſſus eſt, vt diſcerent Carolini νήχεσθαι ἄτερ φλοιοῦ *ſine cortice natare*, ſic etiam mandatum erat, vt totus liber Graecus eſſet, nullo Latino vocabulo, attentionis neceſſitatem minuente, interſerto vel ad latus adiecto. Epimetrum, quod in vacua pagina ſubiecit, eſt nucleus rerum exorandarum, διὰ ἡρώων τριςίχων tum πρόλογον, tam λόγον ſeptuplicem, tum

*Anno* ἐπίλογον, tum ἀμὴν comprehendentium. Denique Editor, prout ipſi
1747. nomine SERENISSIMI clementiſſime mandatum erat, praefationem
1748. Graecam praemiſit, cui elenchus praefixus eſt ſequens.

A) ἡ ἀφορμὴ τῆς ἐκδόσεως τούτου ἐγχειριδίου.

α) ἡ κοινὴ αα) ἡ εὐχρησία τῶν τοῦ Πλουτάρχου βιβλίων ἐν τοῖς λυκείοις. ββ) ἡ σπανιότης αὐτῶν καθ᾽ ἕκασον καὶ κατ᾽ ὀλίγον δεδηλωμένων. γγ) εὐχαὶ πολλῶν ἐπισήμη καὶ πεῖρα εἰς τὸ πλάτος κοσμηθέντων ἀνδρῶν.

β) ἡ ἐγγυτέρα. αα) ἡ χρεία τῶν ἐν τῷ ΚΑΡΩΛΙΝΕΙΏΙ τοῖς γράμμασιν ἐμφιλοχωρούντων νέων. ββ) ἡ γλυκίςη ἐντολὴ τοῦ Μουσῶν καλλωπίσματος κοινωφελεςάτου, τοῦ ἐπιφανεςάτου καὶ ὑπερφυῶς αἰδεσιμωτάτου ἩΓΕΜΩΝΟΣ ΚΑΡΏΛΟΥ.

B) ἡ ἀπόδοσις λόγου α) διὰ τί οὗτοι ἐξαιρέτως βίοι, καὶ ὁ Καίσαρος βίος ἰδικῶς ἀναδιδοῖντο; β) τίνος ἕνεκα ἄνευ μεταφράσεως τῆς κάτω καὶ τῆς κατὰ τὸ πλάγιον; γ) ἐφ᾽ ὅτω τούτους τοὺς βίους διηγησαίμην τὴν Λονδινικὴν διώξας ἔκδοσιν;

Γ) ἡ ἐξοχὴ, ἣν ταύτῃ βιβλῳ κτᾶσθαι, σπȣδὴν ἀνήλωκα, ὑπάρχει α) ἡ ἐκτύπωσις ὡς ὅτι ἀκριβεςάτη.

β) ἡ διόρθωσίς τινων ἐξηρθρωμένων, ἡ ἀποκατάςασις ἐκπεσόντων εὐλαβεςάτη.

γ) ἡ διανομὴ εἰς ἰδίας τάξεις, καὶ αἱ ὑποθέσεις πραγμάτων ἐν τοῖς τῶν σελίδων πέρασι.

– – – 28) Programma Graecum: Ἐπίκρισις πρὸς τοὺς Πλουτάρχου βίους παραλλήλους. Helmſtadii apud Schnorrium. 8 plag. 1.

Ab *Anglis* liberaliſſime exceptum: quippe inter quos Graece litterae maiori in pretio ſunt, quam apud Germanos. Agitur *de eo, quod pulchrum eſt in Scriptis Plutarchi* vniuerſis, ſigillatim *Parallelis*. De illis dicitur, αὐτὰ πολλῆς ἱςορίας γέμοντα καὶ φιλοσοφίας, τῆς λέξεως ἐκ παντὸς τρόπου διώκειν εὐρυθμίαν, σεμνότητα, καὶ ποικιλίαν ὡς εὐγένεςατα καὶ ἐλλογιμότατα κεκοσμημένην. Haec autem praedicantur (βίοι) ςίλβοντες οὐ μόνον τῷ των λόγων ἐντέχνῳ, ἀλλὰ καὶ μεγάλην εὐπορί αν ἀξιομνημονεύτων, θαυμασιῶν τε διδα χῶν, ἐπιτιμήσεων, προτροπῶν καὶ ἐπαίνων χορηγοῦντες, δυνάμενοι ὠφελεῖν τε καὶ τέρπνειν κ. τ. λ. In fine quaedem *vitia typographica* annotantur, quae auctor in pretioſiſſima ſupra laudata *Anglicana editione* obſeruauit, in hac ſua ſylloge autem euitauit.

1748. 29) DIPTYCHA PROFESSORVM THEOLOGIAE, *qui in academia* IVLIA *inde a natalibus eius vſque ad hoc tempus docuerunt, variis interſperſis monitis et obſeruationibus illuſtra-*

*ſtrata.* Wolfenbüttelae, apud Ioh. Chriſtoph. Meisnerum. 4. 1. Alphab. 18. plagul. *Anno* 1748.

Sic quidem titulus habet. Sed nota, quae ſubiit liber propter vitam *Iohannis Fabricii* p. 285. ſeq. fata, effecere, vt nigrum rubro ſatisfacere minus poſſet, nec vniuerſorum Profeſſorum Theologiae vitae curricula vſque ad annum 1748. heic inueniantur. Offertur igitur heic tantum *Tomi primi* (animus enim erat, etiam vitas Profeſſorum Iuridicae, Medicae et Philoſophicae Facultatis, iam conſcriptas, typis dare, *tribus Tomis*, vid. praefat. et primum titulum) *pars Prior.*

Qui in ea deſcribuntur, excellentiſſime viri, ſunt ſequentes: 1. *D. Timotheus Kirchnerus.* 2. *Tilemannus Heshuſius.* 3. *Baſilius Satlerus.* 4. *Iohannes Olearius.* 5. *Daniel Hofmannus.* 6. *Henricus Boëthius.* 7. *Iohannes Sötefleiſch.* 8. *Andreas Celichius.* 9. *Iohannes Hederich* ſeu *Heidenreich.* 10. *Iohannes Hebeſius.* 11. *Laurentius Scheurle.* 12. *Caſpar Pfaffradius.* 13. *Otto Lindenius.* 14. *Iohannes a Fuchte.* 15. *Theodorus Berkelmann.* 16. *Georgius Calixtus.* 17. *Henricus Iulius Strubius.* 18. *Michael Waltherus.* 19. *Conradus Horneius.* 20. *Paullus Müllerus.* 21. *Statius Fabricius.* 22. *Balthaſar Cellarius.* 23. *Gerhardus Titius.* 24. *Fridericus Vlricus Calixtus.* 25. *Ioachimus Hildebrandus.* 26. *Petrus Muſaeus.* 27. *Gebhard Theodorus Meier.* 28. *Iohannes Saubertus.* 29. *Henricus Rixnerus.* 30. *Paulus Heigelius.* 31. *Andreas Froelingius.* 32. *Henricus Vſſelmannus.* 33. *Iuſtus Cellarius.* 34. *Ioh. Eberhardus Buſmannus.* 35. *Henricus Wideburgius.* 36. *Iohannes Fabricius.* 37. *Iohannes Andreas Schmid.*

Ordo in iſtis 37. viris hic ſeruatur: I. VITAE INGRESSVS a) *tempus,* b) *parentes* c) *maiores.* II. VITAE PROGRESSVS. a) *ſchol.* b) *academ.* c) *itinera* d) *honor. acad.* e) *munia.* f) *coniugium.* III. VITÆ EGRESSVS. a) antecedentia: *morbus, corporis habitus, ſtatura, etc.* b) ſubſequentia: *ſepultura* et connexa. IIII. EPICRISIS. V. MEMORABILIA ſingularia. VI. SCRIPTA. VII. FONTES, vnde hauſtae ſunt hae relationes.

Tum *ſupplementis* variis, quae auctor ſeruat, tum quibuſdam leuioribus *emendationibus,* tum *Indice* eget haec Tomi primi *Pars Prima;* quae omnia tunc a Confiſcatione intercipiebantur. *Pars* autem *altera,* Manuſcripta, continet adhuc deficientium, nempe ſequentium Facultatis Theologicae Profeſſorum vitas: *Chriſtoph. Tobiae Wideburgii, Friderici Weiſii, Ioh. Bartholdi Niemeieri, Iuſti Chriſtophori Böhmeri, Chriſtophori Henrici Ritmeieri, Ionae Conradi Schrammii, Cornelii Dieterici Kochii,* Io-

*Anno* *Ioh. Laurentii Moshemii, Chriſtiani Mündenii, Chriſtophori Timothei Seidelii,*
1748. *Henrici Iohan. Bytemeiſteri.*

- - - 30) ABBREVIATVRAE *quaedam in ſcriptis Iudaicis* VSITATIORES, *explicatae atque ordine alphabetico digeſtae.* Halae propter Salam typis I. I. Gebaueri. plag. 1. in 8. mai.

Epicriſis, quae in *Bibliothecae Berolinenſis Tomo II. pag.* 807. effunditur, nondum effecit, vt auctorem huius compendii poeniteret, vt is potius iterationem huius editionis proximam ſit conceſſurus. Illa enim epicriſis et *coeca* videtur, et *iniqua* eſt. *Coeca*, quia Recenſens ne vidit quidem hoc ſcriptum, quod recenſet. Documento eſt, mutilatio pariter ac mutatio tituli, in quo pro verbis, deliberato conſilio poſitis, alia finxit; quem recte recitaturus fuiſſet, ſi ſcriptum ipſum ante oculos habuiſſet. *Iniqua* eſt, quae enim ſugillat, ſugillata ſunt *ſepoſito auctoris ipſius* SCOPO. Nimirum taxat: 1) *Nullam* NOVAM *abbreuiaturam heic occurrere.* Neque vero *nouas* promiſerat auctor, ſed veteres eaſque VSITATIORES, adeoque ſcitu vtiliores, prout titulus manifeſto prae ſe fert. Quamquam falſum eſt, omnes iam in Buxtorfio exſtare, quum quaedem e. c. בה נוא׳ אלק etc. a Buxtorfio omiſſae, heic adferantur. Falſiſſimum vero, interpretationem cum interpretatione Buxtorfii eandem plane eſſe. Inſpectio ocularis ſit arbiter. 2) Elicit exinde, ERVDITVM ORBEM *carere potuiſſe hac editione.* Sed quis dixerat, *erudito orbi* hanc plagulam deſtinari? Deſtinata erat *diſcentibus*, Auditorio auctoris Helmſtadienſi. Teſtantur hunc ſcopum apertiſſime verba praefationis, ſed a Cenſore neglecta, haec nempe: „ *Sint iſtae notae compendiariae notiſſimae viris Hebraice et Rabbinice doctis, ſint perſpectiſſimae heroibus iſtis ἀνατολικοπολυγλωττογνώσει claris: Sunt tamen, qui, lectitantes, in iis quaſi in incile quodam adhaereſcunt, et, quo minus obſcuritatis cetera in textu habent, eo plus moleſtiae e ſignis huiuſmodi aenigmaticis capiunt. His, modice Hebraicarum et Chaldaicarum litterarum cognitione tinctis, et praecipue* HONORATISSIMIS AVDITORIBVS MEIS *hoc, quidquid eſt, Schediaſmatis offertur. Hos iam quidem in copioſiorem ſiluam haud deducendos putaui eſſe.* „ Hi vero auditores carere non poterant hac editione, *Partim* quia liber Buxtorfii rarus eſſe coepit, tot ſaltem eius exemplaria Helmſtadii haud cogi poſſunt, quot requiri ſolent ad hoc Collegium, vt, interfuturis ei, auditoribus ſingulis ſufficiant, *Partim* quia nondum ſeorſim exſtat ſchediaſma, ad ſcopum ſingularem aptum, nempe eiuſmodi, in quo abbreuiaturae, in *Biblio-*

*rum* Hebraicorum margine obuiae, in primis congeſtae ſint. Exſtant eae quidem in *Ioh. Buxtorfii Abbreuiaturis, editis* 1613. *Baſil. in* 8. *et iterum cum acceſſionibus ibidem* 1640, *tertium Franeckerae* 1696. *ac denique Herbornae* 1708; Sed diſperſae inter ſexcentas millenaſque alias, quarum cognitio his auditoribus nondum neceſſaria erat. Conſpectus igitur *Biblicarum* praeſertim abbreuiaturarum, ſeorſim conſignatarum, non inutilis fuit. Quae de abbreuiatura עכום obſeruat Recenſens, *tum* in vulgus nota ſunt ex *Eiſenmengero* et *Schudtio* multiſque aliis, *tum* datam explicationem falſam eſſe, nondum euincunt; niſi forte aſſerere velit, Iudaeos non niſi inter *Pontificios* viuere. *Anno* 1748.

Non nemo ſic ſtatuit (Lateat nomen imbecillis trochili, ſine vlla prouocatione domeſtico mordaciter inſultantis, et, ſublatis nimium criſtis, in tot alios dignitate, annis, et meritis grauiſſimos viros iuuenili irriſione inuolantis): *Quicumque abbreuiaturarum indicem edit, ille ſuam corniculam cum plumis Buxtorfii adornauit.* Quaſi BVXTORFIVS, vtique magnus et poſteritati venerandus, *vnicus* fons eſſet abbreuiaturas diſcendi, nullaque lectio ſcriptorum Iudaicorum propria liceret. Si duo catechiſmos ſcribunt, et in vnius catechiſmo praeceptum VIII occurrit, in altero etiam, num ex hac aliquali conuenientia, ineuitabili plane, concludi poteſt, vnum ex altero praeceptum illud deſumſiſſe, furtumque commiſiſſe, Expoſitione tamen differente paſſim? Nonne ambobus ad fontem patuit aditus? Quam hoſpes vero in abbreuiaturarum hiſtoria, adeoque minus competens hoc in foro iudex, *Ille* ſit, vel ex eo apparet, quod notiſſimas *Weigenmeieri* abbreuiaturas ne nouerit quidem. Sic enim ſcribit, qui e ſcheda tantum quadam ſapit.„ Se inueniſſe in Manuſcripto quodam ad Buxtorf. citatas Weigenmeyeri *Abbreu. Hebr.* Tubing. 1604, neſcire ſe autem, an nomen recte legat. Sciat igitur, GEORGIVM WEIGENMEIERVM verum et plenum nomen eſſe, illumque virum *inſtitutionibus* ſuis *linguae Hebr.* indicem abbreuiaturarum adieciſſe, quem deinde VALENTINVS SCHINDLERVS retinuit. Nec minus WILHELMVS ALABASTER, Anglus, eum retinendum putauit *in Spiraculo tubarum* ſeu *Lexico Pentaglotto Hebr. Chald. Syriac. Talmud. Rabb. et Arabico, cum Abbreuiaturis*, Lond. 1635. Sciat, etiam IOHANNEM CHRISTOPHORVM WOLFIVM *ſupplementa* libri Buxtorfiani exhibere in *Bibliotheca Hebraea* (Hamb. 1721.) *Parte II. p.* 175-590. *plagulis* 2, *et Parte IIII. p.* 251-267. praeter ceteros.

Anno 1748. - - - 31) *Symbola philologica* de TEMPLO MORTIS apud LACEDAEMONIOS, *memoriae - - C. A. Rockenfuſs, miſerabili morte d.* 10. *April.* 1748. *Oacri fluuii aquis, haud procul Goslaria, exſtincti, dicata.* Goettingae, apud Io. Chriſt. Schultzium. 4. mai. plagul. 4.

Mors, μέρος, *a* μείρειν *diuidendo* dicta. Inde a temporibus SERVGHI adeo delirarunt homines, vt rebus conditis, *idealibus* etiam, diuinitatem attribuerent. In tam ſpiſſo deorum dearumque agmine in primis obſeruanda eſt MORS Dea, quae quà nomen, figuram et cultum in templo deſcribitur. Vnde pateſcit, SPARTANOS aeque ac GADES, quibus etiam *Mors* culta eſt, haud fuiſſe Hypnopſychitas.

- - - 32) *Diſquiſitio hiſtorico - philologica, de vera* ORIGINE *ac* POTESTATE *nominis* Burſe, *quo litterarum Studioſi academici inſigniri ſolent.* 4. Halae, plagul. 5.

Exponitur, *Collegium* quoddam CISTERTIENSIVM, Pariſiis anno 1249. conſtitutum, eſſe primum omnium eiuſmodi Collegiorum academicorum, quae deinceps in plurimis academiis condita ſunt, et vel hodie in ſingulis fere Pontificiorum academiis ſuperant. E BVRSA ſeu *fiſco* iſtiuſmodi collegii victitans, appellabatur *burſarius,* ſeu, ſi venia verbo eſt, *Stipendiatus,* un *Bourſier.* Praeterea, quum commune iſtud domicilium ſeu *collegium,* in quo habitabant commilitones, vocaretur medio aeuo BVRGVM, un *bourg:* fuerunt *les* BOURGES *contubernales,* quorum alter alterum haud ſecus compellavit, quam *mon bourge!* Ex illuſtri diuae GENOVEVAE Parnaſſo in ceteras Muſarum ſedes profatum eſſe hoc nomenclaturae, aſſeritur. In plurimis reliquis etiam nominibus et inſtitutis, quae in Germanicis academiis vigent, feliciter cognoſcendis, academiae *Pariſienſis* ſtatum, bene exploratum, phoſphorum agere, commonſtratur. Auditoribus Burſicis CCXII hoc paegnion dedicatum eſt. Sub finem legis *Pia Deſideria in Academiis!*

- - - 33) *Malleus obſtinationis* I. CLERICI et W. WARBVRTONII *in ſententia de Theologia aeui Iobaei.* Lipſiae et Francof. plag. 8.

Illi pernegant, Iobi aeuo fuiſſe notitiam perennitatis animorum, redintegrationis corporum et diuerſae hominum poſt haec ſaecula conditionis. Heic igitur ſpecioſa illorum, in primis Clerici, ar-

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830171002/phys_0022 DFG

argumenta diſcutiuntur, et contrarium indiciis ſat luculentis adſtruitur. Continuabitur hoc filum. Nam propoſuiſſe ſibi, auctor ſignificat, ſi vita ſuppetierit, totos Iohannis Clerici in V. T. commentarios, plus iuſto ſane a multis aeſtimatos, *perpetua criſi* comitari, et venenum Socinianum, Arminianumque, quod quodam Philologico fuco incruſtatum eſt, diligenter ſemouere vel obtundere, ne ii, vti huc vſque, incautis noceant. *Anno* 1748.

1749. 34.) Diacriſis Philologico-Theologica de DOCTORATV CHRISTI TRICENARII; vna cum triga obſeruationum, 1) *de die, quo lapſus Protoplaſtorum contigiſſe videtur*, (nempe eo, qui Iudaeis eſt dies expiationis, ſeu deplorationis delicti Protoplaſtorum, decimo vitae ſuae die, hebdomadis die eo, qui *dies Solis* vocatur) 2) de PRIMO *primorum hominum die pleno, nimirum Sabbato*, myſterio pleno 3) *de Euphemiſmis Chriſti emphaticis*. Accedit Index. Brunſuici, ſumtibus haeredum Ludolph. Schroederi, et Gothofred. Merckwitz. plag. XI $\frac{1}{4}$ in 4.

